Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26158
Copyright: Admont, Benediktinerstift

bilis est diuinitas. circumferentia
quam facit pes circini mobilis est
humanitas. Tali quo non adtingunt
punctum diuinitatis. id est non credunt
diuinitatem. id est credunt christum esse
purum hominem.
In ciuitate munita. Ciuitas quan-
doque significat ecclesiam militantem. Unde hoc.
Magnus dominus et laudabilis nimis in
ciuitate dei nostri. id est in presenti ecclesia.
Quandoque triumphantem: Unde hoc
Gloriosa dicta sunt de te ciuitas
dei. Quandoque animam. Unde hoc.
Disperda de ciuitate domini omnes
operantes iniquitatem. id est ab anima
malas cogitationes que sunt
mali ciues. Quandoque iudeos.
uel gentiles ut hic. Quandoque con-
gregationem infidelium. Unde hic.
Ego dominus et ciuitatem non ingrediar.
Diligite dominum omnes sancti eius. Est
inimicus inherens. adherens.
seuiens. blandiens. peccatum. caro.
diabolus. homo. De primo. Inimi-
ci hominis domestici eius. De secundo
Nulla pestis efficatior quam famili-
aris inimicus. De tercio. Inimicus homo hoc
fecit. qui super seminauit zizania.
De quarto. Diligite inimicos uestros.
Beati quorum remisse. Contra tria uicia tria remedia
sunt iniquitates. Tria sunt uicia
in homine. et ad remedium
tria sunt antidota. Primo homo
ignorat se peccare: secundo dedignatur
confiteri. tercio bonum si quod habet sibi
adtribuit. Primo ignorantia. secundo
dedignatio. tercio arrogantia.
Contra primum fuit cognitio. contra se-
cundum est pia confessio. contra tercium est
pia attributio. ut deo attribuamus
bona nostra. Est uicium in homine:
ab homine: hominis. Primum est
peccatum occultum. Unde hic. Delicta
quis intelligit. ab occultis meis
munda me: Secundum est: quod est ab ali-
unde: Unde hic. ab alienis parce ser-
uo tuo. Tercium est ignorantia. quod
dicitur esse peccatum hominis.
non diaboli. quia diabolus ex in-
dustria non ex ignorantia pecca-
uit. Preterea in leuitico dicitur. Si
homo peccauerit per ignorantiam.
et non dicitur. quod si peccauerit per sci-
entiam. uidetur quod omne pecca-
tum in homine puniat. saltem ex
ignorantia boni. Deus debet nos
saluare: triplici de causa. ex promis-
so. ex nostro merito. ex congruo.
Et quorum tecta sunt peccata.
Deus dicitur uidere per cognitionem. Unde hic.
Oculis dei omnia sunt nuda et aperta.
Per approbationem: Unde hic. Respexit dominus
ad abel. et ad munera eius. Quandoque
per compassionem: Unde hoc. Uidens uidi
afflictionem populi mei. Quandoque
per punitionem. Unde hic. In primo est scien-
tia. in secundo est iusticia. in tercio est
misericordia. in quarto potentia.
Pro hac orabit ad te omnis sanctus.
In tempore oportuno. In tempore gratie